

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 58. 1) De transmissione protestationis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

nis elicere potes. Id quod adhuc hac de re, ut omnis exhausta sit quaestio, adjiciendum esse putavi ††.

§. 57.

Ne tamen ullum omittam hac de re momentum, istud adhuc addam, obvenire posse casum, in quo protestatio praescriptionis cursum interrumpere videri possit. Sed res specie fallit. — Interdum nempe debitoris, a quo pendendum est, conveniendi copia non est; cum is aut absit aut latitet. Ad factum istud magis stabiliendum protestationem institui nihil prohibet; atque in isto casu praescriptio omnino non currit. Sed si propius rem consideres, apertum habebis, non protestatione sisti cursum praescriptionis, sed potius effectum istum emanare ex generali et notissima regula juris: *agere non valenti non currit praescriptio*. Protestatio vero non nisi ad probandum istud factum: *creditorem agere non valere*, effectum suum exferit *).

SECTIO VII.

Modus procedendi post protestationem factam.

§. 58.

1) De transmissione protestationis.

Postulant complures constitutiones cambiales **), ut protestans cambii et protestationis instrumenta ad locum, unde

††) Alium praescriptionis terminum cambio trassato, de quo nemo protestatus est, alium vero illi, de quo protestatio confecta est, praefigit *Poln. WO.* v. 1775. §. 3. n. 4-6. in *UHL. cont.* IV. pag. 6.

*) Ex his principiis res similis circa cambium proprium quodammodo definita esse videtur in *allg. preufs. Landr.* P. II. §. 1213. 1qq.

**) Praetereo multas in *SIEGELIANO* corpore ejusque continuationibus duobus prioribus insertas, in pluribus aliis libris allega-

ga-

unde prius ad se pervenerit, mittat, id quod tamen non nisi sedula distinctione affirmandum esse censeo. Si enim praesentans mandatarii saltim vices teneat, remissio amborum instrumentorum omnino necessaria est, cum non sua, sed mandantis, jura conservaverit, eidemque media ad ista persequenda in manus tradere debeat. Obligat quoque mora in remissione cambii commissa vel dolosa vel culposa mandatarium ad damnum refarciendum *).

§. 59.

Nequeo idem per omnia dicere de protestante cambii proprietario. Is enim, qui ipse regressum erga remittentem s. alium ex praecedentibus cambii indossantibus (vel contestim vel ex intervallo, excusso e. g. acceptante solutionem denegante etc.) meditatur, probationis mediis, instrumentis scilicet cambii et protestationis, sese exuere minime potest. Non ergo video, quonam modo ad cambii remissionem, quamdiu eidem satisfactum non sit, obligatus haberi possit. Protestationis instrumentum unum remittere quidem potest, cum alterum vel jam confectum teneat, vel ex protocollo notarii conficiendum curare possit. Et hoc quidem interdum jure efflagitat remittens s. is, cui de regressu actionem struit, quippe qui interdum porro erga alium regressum quaerit ad eundemque ideo probandi mediis instructus esse debet. Quando igitur certum est, eum, quem

re-

gatas. Nominò ex recentioribus *Oestreich. Wechselpatent v. 1763.* art. 11. in UHLII cont. III. pag. 9. *Poln. Wechselverordn. v. 1775.* §. 2. n. 4. in UHL. cont. IV. pag. 4. *Augsb. WO. v. 1778.* cap. 5. §. 23. in UHL. cont. IV. pag. 91.

*) Habes eandem sententiam in SIEVERINGII libello S. 137. sqq. expositam — cf. etiam *allg. preuss. LR.* §. 1046.

G

